



Disputatio juridica inauguralis de usufructu et quemadmodum quis utatur fruatur

<https://hdl.handle.net/1874/341866>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
U S U F R U C T U

Et quemadmodum quis utatur fruatur,

Q V A M
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,
NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissime

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privil-
legiis rite, ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

CORNELIUS VERHEYE, ZIRIZEA-ZELANDUS.

Ad diem 22. Februarii, hora locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clc loc Lxxxvii.

*Nobilissimis Amplissimis & di-
gnitate conspicuis VIRIS,*

D. D. J A C O B O V E R H E Y E,
JC^{TO}. nuper in confessum Celsissimorum
& Præpotentum D. D. Ordinum gene-
ralium foederati Belgii delegato Ordina-
rio, nunc vero Illustrissimis Zelandiæ
Ordinibus à Secretis : Parenti :

D. D. CORNELIO de JONGE
ab ELLEMEET, DOMINO ab EL-
LEMEET JC^{TO}. Belgii Foederati Quæ-
stori Generali : Avunculo ,

Theses hasce Inaugurales in grati animi
signum ea qua decet observantia

Offert & inscribit

C. VERHEYE, AUCTOR.



D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A U G U R A L I S ,

D E

U S U F R U C T U

Et quemadmodum quis utatur fruatur.

T H E S I S I .



Ervitutes partim sunt reales sive prædiales partim personales, personalis servitus est cum res personæ servit: ejus species sunt ususfructus usus & habitatio, inter quas principem locum obtinet ususfructus, quem hic tractare decrevimus.

I I .

Definitur ususfructus quod sit *jus alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia*: juris nomine venit hic legitima facultas, utendi fruendi: duo hæc fere conjungi solent, *uti frui*, licet fructui usus insit, nec interest utrum fructus vel ususfructus legetur. l. 14. §. 1. ff. de usu & habit., l. antep. de ususfr. leg. alienis rebus: commune est hoc omni servituti, res enim sua nemini servit, l. 26. de serv. præd. urban. additur *salva rerum substantia*: tum ut excludatur quasi ususfructus earum rerum quæ usu

A 2

consum-

4 DISPUTATIO JURIDICA

consumuntur, quarum rerum ususfructus proprius non est: tum etiam ut res salva servetur suo domino, & eam fructuarius non reddat deteriorem, sed ipsa utatur ut bonum patremfamilias decet.

III.

D. D. cum usumfructum in *causalem* & *formalem* dividunt, duo genera servitutum constituant, *formalem* habet ex re aliena, qui Dominus non est, *causalem* ipse dominus ex causa proprietatis habet in re sua, *ex l. 21. §. 3. ff. de except. rei judic.* & *l. 126. de V.O.* sed cum proprius omnis servitus sit in re aliena, non hec vera & genuina est generis in suas species divisio, sed potius distinctio nominis πολυτίμως in sua significata ut docent ad *h.t. Wensem. in parat. N.4. Vinnius in comment. Inst. n.4. Bockelm. ad ff. N.2.*

IV.

Constituitur ususfructus à lege, Judice, & domino: à lege conceditur patri in bonis adventitiis filiifamilias *l. 6. C. de bon. que lib. §. 1. Inst. per quas pers. cuique acquir.* etiam in bonis filii emancipati pro parte dimidia, *§. 2. Inst. per quas pers. cuique acquir.* A Judice constituitur ususfructus in judiciis divisoriis, veluti communi dividendo, familiae erescundae, finium regundorum, cum, si res commodius expediri non possit, uni proprietas alteri ususfructus adjudicatur, *§. ult. Inst. de off. jud. l. 6. ff. §. ult. comm. divid. l. 27. ff. fars. eresc.*

V.

Constituitur etiam ususfructus à domino inter vivos vel ultima voluntate *l. 4. in fine h. t. ultima voluntate conceditur ususfructus, si legatus sit, §. 1. Inst. h. t. tor. rit. ff. de usfr. & ususfr. leg. dies legati ususfructus ab adita hereditate cedit l. 2. quand. dies leg. sed.* Inter vivos autem constituitur ususfructus pactis & stipulacionibus

I N A U G U R A L I S.

nibus non nudis, sed qui ipsum dominium transferre possent, nam ut rerum dominia non transferuntur nudis pactis l. 20. C. de pact. ita neque servitutes nudo pacto constitui possunt, sed necessarium est, conventione aut stipulatione de constituenda servitute facta, subsecuta sit quasi traditio, utque is, cui constituta est, paciente domino, usus sit servitute.

V I.

Constitui ususfructus potest in rebus omnibus, e quibus aliquæ commoditas aut utilitas percipi potest, sive sint immobiles, sive mobiles ut supellex, mancipia, jumenta §. 3. Inst. b. t. Solæ excepientur res quas usu consumi necesse est, cujusmodi sunt vīnum, oleum, frumentum, cæteræque res quæ pondere numero & mensura constant, & in genere suo functionem recipere dicuntur, l. 2. de reb. cred., propter utilitatem tamen, in gratiam ultimæ voluntatis, & ut commercia rerum latius paterent, Senatus censuit harum quoque rerum quasi usumfructum posse constitui §. 3. Inst. b. t.

V I I.

Vestimentorum verus est ususfructus, non enim, quæ longo usu consumuntur & detritu deteriora fiunt; usu consumi dicuntur, sed quæ utendo protinus tolluntur & delentur, quarumque non nisi in abuso usus inest, l. 15. §. 4. ff. de usuf. l. 9. §. pen. ff. usuf. quemadm. cav. Accursius duo vestium genera facit in explicatione §. 2. Inst. b. t., unum temporalium sive quotidianarum, aliud perpetuarum, ut sunt funebres & scenicæ quarum rarior usus: fictum in temporalibus, in perpetuis verum usumfructum constitui putat.

V I I I.

In vero ususfructu duplē præstat ususfructarius cautionem, unum de utendo fruendo ad arbitrium boni viri, alteram de refinito ususfructu restituenda l. 4. b. t. & l. 1. §. 3. ff. usuf. quemadm. cav. fit hæc cautio per fidejussiones aut pignora, nisi obstat inopia, quæ valere facit juratoriam cautionem argumentum ambient.

general. de Episcop. &c. cler. N. 112. cap. 2. videri tamen oportet an eam offerens sit probæ & honestæ vitæ, nam si secus, res fructuaria sequestrari debet apud honestum aliquem & integræ famæ virum, qui usufructuario de fructibus respondeat, in l. 5. §. 1. ff. ut legat. nom. cav. Gail. 2. observ. cap. 47.

I X.

Quær. an hæc cautio sit de substantia ususfructus, quod neg. quia potest remitti scilicet ab hærede arg. l. 71. ff. ad l. falc. l. 46. de pact., pater etiam qui habet usumfructum in bonis filii adventitiis immunis est a cautione præstanda. l. ult. §. 4. C. de bon. que lib. Perez. ad b. t. n. 6.

X.

Quæritur an testator remittere possit cautionem, de titendo fruendo arbitrio boni viri, & verum est quod non possit, ne detur materia delinquendi, quare optimo jure decisum est: si marito testamento uxoris omnium bonorum ususfructus sit relictus, quamvis cautionem prohibuerit, eam nihilominus tamen præstari oportere in l. 1. ff. b. 2., quia nemo in testamento suo cavere potest, ut leges in eo locum non habeant. l. 55. ff. de leg. Gail. lib. 2. observ. cap. 44.

X I.

Usufructarius omnium bonorum æs alienum defuncti solvere non tenetur, cum non sit Hæres, cui hoc, ut & legatorum onus, incumbit l. 1. C. de her. vend. l. 1. & 2. ff. si unus ex plur. her. Hæres autem debita & legata ex bonis defuncti deducet per venditionem bonorum, secundum ordinem præscriptum in l. 15. de re jud., ita ut quod legati seu debiti nomine solvit, tam de proprietate quam de usufructu decedat, si autem legata annue sint solvenda, ad ea tenetur usufructarius, si redditus sint qui sufficient ad legatorum solutionem alias bona erunt destrahenda l. final. C. de bon. que lib. Gail. lib. 2. observ. C. 46. Fachin. lib. 4. Controv. C. 19.

XII. Cum

XII.

Cum quem sequuntur commoda, eum & incommoda sequi debeant, incumbit fructuario pendere tributa, vestigalia etiam extra ordinem imposta *l. 7. §. 2. b. t.* imo & præterita quæ tamen à proprietatis domino repetere potest, ipsius quoque est ædes reficere, cæteraque sarta tecta suis sumptibus præstare. Distinguuntur tamen, inter impensam magnam & modicam, magnam enim impensam, quam ultra fructuum & redditum quantitatem, præsttit, proprietarius refundit, & si partes de his controvertant, judicis arbitrio res decidetur *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. l. 65. hic, l. 7. C. eod. l. 28. de usufr. leg. Capoll. de serv. C. 59. N. 5.*

XIII.

III. V.
Cæterum, quia omne rei emolumentum ad usufructuariū pertinet, ne inutilis esset proprietas, Imperatori placuit cum certis modis extingui: *§. 1. Inst. b. t.* & primo quidem morte naturali fructuarii, quia personæ tantum debetur & servit eique cohæret, *l. 3. & l. 16. ff. b. t. §. 4. inst. eod.*

XIV.

Ususfructus Reipublicæ relicitus centum annis extinguitur *l. 56. ff. de usufr.* longissimum autem spatiū ætatis humanae est centum annorum: diversum est si annum legetur reipublicæ *l. 6. ff. de ann. leg.*

XV.

Finitur quoque ususfructus olim quidem omni capitibz diminutione: hodiè maxima tantum & media *l. penult. §. ult. ff. b. t.* non minima, nam si in adoptione, emancipatione statum mutaverit fructuarius non perdit civitatem ergo nec ejus jura *Perez. in l. 3. C. b. t. n. 24.*

XVI. Ex-

8 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

X V I.

Extinguitur etiam ususfructus non utendo per modum & tempus decennio, inter præsentes, vicennio inter absentes *l. pen. ff. b.t.* puta si non utetur vel per se vel per alium conductorem nempe aut donatarium *l. 38. ff. b.t.*

X V I I.

Usufructu præterea finem imponit consolidatio, cum vel proprietarius voluntate, aut facto fructuarii, usumfructum, vel fructuarius voluntate proprietarii proprietatem adipiscitur *l. 3. in fine de usufr. accrescendo, §. seq. eod. §. 3. inst. b.t.*

X V I I I.

Cedendo extraneo nihil agit usufructuarius, quia jus quod habet est personale, sed non quo jus suum extraneo cedit eum ipse amisit, cum cessio sit inefficax, & succedat regula quod per alienationem inutilem nemo amittat jus suum: sed objicit. *l. 66. de jure dot.* ubi dicitur hoc casu usumfructum reversurum ad proprietarium, sed ibi intelligitur, ubi finitus erit per mortem fructuarii, aut aliam causam, ab eo datam non autem continuo ut notat *Pinellus ad l. 1. C. de bon. mat.*

